







17

*Pra 36 num. 6*

*1777/13*

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
DE

POENA PURGATORII  
NON PRAESTITI IN  
PROCESSV CRIMINALI

*P 503*

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISVURGENS.

SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XIV. FEBR. ANNO MDCCCLXXVII.

DEFENDET

IOANNES GOTTFRIED LINDAV

SANGERHVS. THVRING.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.





*Handwritten notes in the top left corner, including the number '13' and some illegible scribbles.*

QUESTIO  
IVRIS CONTROVERSI

POENA FURGATORII  
NON PRÆSTITUM  
PROGRESSU CRIMINALI


*Handwritten number '13' in the right margin.*

LEGIS IURIS ORDINIS CRIMINALI  
PRÆSTITUM

D. CHRISTIANO HENR. BREYNING  
PROF. IURIS ORDINIS CRIMINALI  
ET SOCIETATIS IURIS CRIMINALIS

IN AUCTORITATE IURIS  
DE IURIS ORDINIS CRIMINALI

IOANNES GOTTFRIED LINDA  
DE IURIS ORDINIS CRIMINALI





DOMINO

PERILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO

IOANNI GOTTLIEB

DE LEYSER

DOMINO HEREDITARIO DE GERSDORF

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI

A CONSILIIIS IN CAVSIS BELLICIS.

MAECENATI OPTVMO



DOMINO

PERILLYSTERI ATOVE GENEROSISSIMO

IOANNI GOTTLIEB

DE LEYSER

DOMINO HEREDITARIO DE GERDORA

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI

A CONSILII IN CAUSIS BELGICIS

MACECENATI OPTIMO





DOMINE  
PERILLVSTRIS GENEROSISSIME  
MAECENAS SVMME

**F**gnoscas, si, quem solent servare, morem  
meum facio, libello speciminis loco exhibendo  
*PERILLVSTRE TVVM NOMEN* inscribendo. Causam vero conatus mei, non mos continet,  
sed beneficiorum copia et deuotae gratitudinis necessitas excusat. Tanta enim sunt, quae *TVAE* debeo  
gratiae, ut exoptatam occasionem, publice animi mei  
gravi-



gratitudinem atque deuotionem exhibendi, auide ar-  
ripuerim. Accipe itaque pro singulari TUA gratia  
leue hocce munus TVO PERILLVSTRI NOMINI  
addictum, pietatis, reuerentiae atque gratitudinis do-  
cumentum, simulque permitte, vt summis precibus  
grauissimo TVO Patrocinio atque Gratiae me mea-  
que omnia commendem, qui semper ero

PERILLVSTRIS AC GENEROSSIMI

TVI NOMINIS

Lipsiae  
d. XIV. Febr.  
MDCCCLXXVII.

deuotissimus cultor

IOANNES GOTTFRIED LINDAV

RESPONDENS





DE  
POENA PURGATORII  
NON PRAESTITI IN  
PROCESSU CRIMINALI



§. I.

Habere olim maiores nostri summam  
quandam superstitionem fraudibus cle-  
ricorum absque dubio suffultam, qua  
se ab imputatis liberare solebant delictis,  
Ordalia dixere, quasi Dei iudicium,  
quem putabant per infinitam summam-  
que suam iustitiam semper succurrere innocenti turbato  
adeo naturae ordine quasi per nova miracula, quae in  
ecclesia

A 2





ecclesia Christi non repurgata a superstitione cessasse non videbantur. Quis enim sibi persuadeat, per ferram candentem ingredi posse nudis pedibus absque cutis violatione hominem adeo innocentissimum, vel manum inferre manicae candenti, ni fraus adsit et machinatio. Tam crassa videbatur adeo Pontifici haec superstitio et forsitan fraus adhibita, ut religioni contrariam haberet, eamque penitus improbarer, inque eius locum *purgationem canonicam* substitueret, quae iureiurando praefito adhibitis consecrationalibus peragebatur. Non quidem adfirmem et iurisiurandi et compurgatorum usum inuentum esse papae, quippe in CONCILIO TRIBURIENSI A. 895. habito, qui canon extat in *c. 15. C. II. q. 5.* et toridem verbis in *c. 1. X. de purgat. canon.* et huius iuramenti et compurgatorum iam mentio fit. Et cum usus iuramentorum ad purgandum se Legibus Germanorum comprobatur, ut est in LL. WISIGOTHOR. *Lib. VI. Tit. I. cap. 11.* quod caput expresse de criminum investigandorum ratione agit, et quando tormentis subiiciendi rei, aut qui iuramento conscientiam expiare debent vel conscientiam sacramentis purgare, et in CAPITVLAR. CAROLI M. *Lib. VI. CCCLXXXVII.* depredationis et raptus poena sexaginta Solidorum, si liber est, constituitur rei que depredatae aut raptae restitutio imponitur, aut iubetur, ut cum *duodecim testibus* (qui nulli alii, quam compurgatores) *se purget*; conuicio, ex moribus germanorum tantum originem in foro criminali purgatorii cum compurgatoribus posse deduci, quare sit, ut illius usus in Concilio Triburienfi in Germania habito adduci potuerit. Nihil ergo praefitere Romani Praefules ut CELESTINVS III. a. 1195 et HONORIUS III. a. 1225 in *c. 1. et 3. X. de purgat. vulg.* quam

vt





vt vulgarem illum populis germaniae receptum purgandi morem per duella, ferrum candens et alia omnino improba- rent, atque vsum in posterum interdicerent, vt solus pur- gationis canonicae vsus maneret.

## §. II.

Quamquam vero sublatis purgationibus vulgaribus, vsus canonicae purgationis moribus germanorum super- fuisse videtur, tamen inter clericos maior videtur usus iuramenti fuisse, quam inter laicos, vt nonnulli erudito- rum hanc purgationem canonicam solis clericis tribue- rint, quae quidem opinio non omnibus numeris absoluta videtur, et quae in tantum vera esse videtur, quod ap- probata purgatione vulgari maxime per duella, quae in clericis ne cogitari quidem poterant, inter laicos vsu fre- quentata non sit. At improbata vulgari, ni censuram mereri veller quis ecclesiasticam, quam pontifices irro- gandant censuere, non improbable est, et laicos hanc canonicam praestitisse purgationem adhibitis compur- gatoribus, quod ex ipsis antiquis legibus conuicitur. Nihilominus tamen ausim adfirmare, rariorem imo vel rarissimum fuisse iuramenti purgationis canonicae vsum, in foris criminalibus, quippe plane de iuramento purga- torio silet CAROLINA NEMESIS, quae potius de tortura longiorem exhibet tractationem, nullibi tamen purgatio- nem per iuramentum improbat. Quamuis vero consa- cramentarium vsus postea plane cesserat et in foris eccle- siasticis et secularibus, superfuisse tamen adhuc purgationis per iuramentum vsum forum Saxonicum suadet, quippe *CONSTIT. ELECT. XXII. P. I.* de hoc iuramento tanquam re aliqua certa in foro criminali dicit, verbis: *Obwohl das*





Iuramentum purgationis fürnehmlich in peinlichen und in Ehe-Sachen aus richterlichen Amte, da es gleich nicht gebotten, dem Beklagten, wo ein rechtlicher Verdacht wider einen ausgeführet, kann auferlegt werden etc. Docent verba non nouiter introductum fuisse purgatorium, nec comprobatum hac lege, sed iam usi fori retentum haberi, qui usus sine dubio ex illo purgationis ritu, remissis consacramentalibus, ne multiplicentur iuramenta, remansit. Quare fit, vt et amplius adhuc Doctores purgationem canonicam dicant.

## §. III.

Quicquid vero sit ratione originis vsusque introducti iuramenti purgatorii, certum est in Processu et accusatorio, si vsus illius superfit, et in inquisitorio locum esse iuramento purgatorio, illudque a iudice ex officio imponi. At iam quaestio oritur, quibus in causis et qua iuris ratione purgatorium imponi possit. Diuersas ferunt regulas ad quas Purgatorio locus concedatur. Testis est HEIL in Defens. et Iud. Cap. IV. §. 4. Ait: *Obtinet haec purgandi ratio in Processu inquisitionis tribus potissimum casibus.* 1) *Si deficiant duo testes omni exceptione maiores, iique oculares, indicia vero ad torturam non sint sufficientia.* 2) *Si indicia quidem sufficiant, sed persona torqueri non possit.* 3) *Si indicia quidem sint sufficientia, et persona etiam torqueri possit, at deficiat delicti grauitas.*

## §. IV.

Hae vero regulae suis circumseptae sunt limitibus, vt simul omnes in speciebus obuientibus adhibendae sint. Nam nihil interest, an duo adsint testes, an vnus, vtrum





utrum sufficiant, nec ne, ni vel inquisiti qualitas permittat et delicti gravitas suadeat torturam, semper locus erit purgatorio. Maxime vero ad qualitatem indiciorum respiciendum videtur. Fac enim sola adesse indicia quae remotissima et generalia dicuntur, fac ea duobus testibus probata, testes esse omni exceptione maiores, posse etiam reum subici tormentis, esse delictum atrox, nunquam in regula torturae locus erit. At si fingere indicia plura adesse proxima et specialissima, quae singula vno teste omni exceptione maiori probata, commissum delictum, cuius causa inquisitio instituta, esse atrox, tamen haud purgatorium in regula praescriptum videbis, sed habebis plerumque impositam torturam. Probant et HEIL *cit. loc.* qui suas §§. *seqq.* explicat regulas, et alii, qui de iudiciis tractarunt TABOR de *Iudiciis Opp. T. II.* CARPZOV *Pract. Crim. P. III. Qu. CXX. spp.* et Christoph CRYSIVS de *iudiciis* et alii. Ante vero omnia maxime ad delicti qualitatem respiciendum, natura rei suadet. Si enim medium eruendae veritatis, puto torturam, gravius esset, poena delicto commisso imposita, certissimum est, nunquam quaestionem per tormenta imponi posse, sed purgatorio locum esse debere. Neque in leuissimis delictis proprie illud negari potest, quare et inualuit mos pronunciandi, si ob summam commissi delicti leuioris probabilitatem sententiantes mitiorem poenam sententia statuere: *Er kömte und wolte dem sich euidlich reinigen*, add BERGER. *Oecon. Jur. L. IV. Tit. XXV. Th. IV. not. 12.*

## §. V.

Haec vero recte obseruabuntur in iis prouinciis, quae adhuc torturae relinquunt vsum. At videndum est, quid





quid iuris in iis terris, quae ex causis, quas iustas habuere, eiciendam censuere torturam, quale quid et in Patria factum scimus ab ELECTORE Serenissimo emissâ in hanc causam *Instructione ad Dicasteria d. d. 2. Novbr. 1770* quae prohibet, quominus Dicasteria amplius de tortura et territione imponenda, cuiuscunque generis sit delictum, sententiam ferant. Fuit potius serenissimi Legislatoris sententia, vt si vel semiplena maior, vel semiplena probatio ipsius delicti commissi adsit, extraordinariae poenae locus sit. Si vero grauatus tantum sit reus, videtur Serenissimus comprobasse Purgatorium, vt patet ex §. 4. 5. et 6. allegatae *Instructionis*. Vtitur quidem Legislator verbis, *nach Beschaffenheit der Indicien*, quae tamen intelligenda erunt, vt si admodum generalia vel remotissima sint, *in Ermangelung mehrern Verdachts noch zur Zeit nichts vorzunehmen* iubeat Legis Serenissimus autor, in aliis vero purgatorium sit statuendum.

## §. VI.

Sed hanc legis nouae esse veram interpretationem ipsum suadet legis argumentum. Cum enim Lex abrogandam censuit torturam alterum veritatis eruendae medium, alterum iam vnicum supererit eruendae veritatis medium, scilicet purgatorium. Quamquam haud negem, multa ex eo venire, quae adhuc emendatione indigerent. Necesse enim est, vt, cum adhuc tortura execeretur, rarior iuramenti vsus existeret et ita rariora periuria. Ea vero sublata frequentior existet purgatoriorum vsus. Nihil monerem, si omnes Dei vltoris periurii et memores et vere conuicti essent ex saniori Christi religione sanctissima.





suma. At, proh dolor! quot quotidie prope spreta Numinis immortalis vindicta, suppressa veritate, a probabilitatis summa iudiciis fere quasi conuictis, per purgatoria praestita summa periuria committuntur, quae, cum probatio ipsius delicti deficiat euitari vix poterunt a iudice secundum acta et probata iudicante. Ne vero cruciatus sentiat innocens iudiciis forsan grauatus, mirum enim foret, dolere improbissimum hominem cui tanta esset obstinatio, vt malit superare patientia dolorem et cruciatum tormentorum, quam prodere veritatem commissi delicti, abrogata tortura, via videtur apperta esse periuriis. Quis autem dubitet, quin, qui scit, se, si confiteatur non praestito iureiurando, grauiorem perpeffurum poenam, malit peierare, quam vitae et capitis periculum subire. Sane in tanta quae est, hominum improbitate videor posse optare, vt caueatur, ne grauius peccetur, si periuria committantur, quibus non tantum impunita manent delicta, sed ipsa diuina simul maiestas laeditur. Sed haec obiter.

## §. VII.

Redeo in viam. Cum itaque iuris sit, vt sese purgent iureiurando, qui iudiciis grauati de commisso delicto: oritur quaestio, quid iuris: *si postea inquisitus iusiurandum recuset atque iurare detrectet.* Ante omnia distinguendum censeo: Aut inquisitus, qui iurare detrectat, postea delictum commissum sponte confitetur, circumposita capita illius enarrat, eaque cum veritate conuenire deprehenduntur, plane nullum est dubium, quin ordinaria poena, non ob non praestitum iusiurandum, sed ob spontaneam confessionem.

B

fessio.





fessionem cum veritate convenientem. de Aut inquisitus,  
 qui iurare atque se purgare recusat, persistit in pernegan-  
 do delicto. Videretur adfirmari posse, habendam tunc in-  
 quisitum pro *confesso et conuicto*. At quamuis concedam  
 haberi posse pro confesso et conuicto inquisitum; tamen  
 ulterius quaerendum, qui sit effectus, quod pro confesso  
 habeatur. Fictio enim illa in ciuilibus causis tantum  
 operatur, quantum veritas. At quis haec in criminalibus  
 adfirmet, maxime cum ORDINATIO CRIMINALIS Art. XXII.  
 disponat: *Dann soll iemand endlich zu peinlicher Straff ver-  
 urtheilet werden, das muß aus eigen Bekennen oder Bewei-  
 sung beschehen etc.* Fictio vero illa confessionis atque con-  
 uictionis, neque dici potest *eigenes Bekennen*, neque vera  
 probatio haberi.

§. VIII.

Detrectatio itaque purgatorii in negatione persistente  
 inquisito ex opinione CARPZOVII P. III. qu. 116. inf.  
 Distinctioni locum dedit sumtae ex diuersis speciebus de-  
 lictorum. Putant, in delictis leuioribus maxime in quibus  
 ciuilis poena obtinet, eum, qui, quod iurare detrectat,  
 et pro confesso et conuicto habetur, ad poenam condemnari  
 posse, quana opinionem iuuat leuitas poenae. At si tale  
 est delictum, quod corporis poenam adficiuam vel adeo  
 capitalem meretur, nunquam vis tanta fictae confessioni  
 et conuictioni tribuenda, vt ordinaria poena statui possit,  
 sed inquisitum nouo quasi indicio grauiatum iudicant.  
 Cum enim ficta confessio non sit vera confessio, ficta  
 conuictio non sit vera conuictio, quae tamen in *Lege cri-  
 minali c. l.* requiritur, illius nullus potest esse effectus ad  
 ordi-





ordinariam poenam. At quis dubitat, necessario exinde suspicionem debere oriri, non omnino inquisitum sua se conscientia habere innocentem, quippe si fuisset innocens, credibile foret eundem sese liberaturam ab ulteriori inquisitionis incommodo, praestito iureiurando purgatorio. Orta ergo hac suspitione recte putarunt docti homines, fore tantum grauatum inquisitum ad torturam, quo plena deum confessio per tormenta et cruciatus possit extorqueri. Et sicut haec prope communis est opinio, ita ab analogia iniuriam et veritatis non abhorret. Neque enim semper verum est, quod, qui detrectat iusiurandum, ideo sit improbus delinquens, quam conuincat conscientia delicti commissi: quoties enim contingit, vt, qui bona conscientia ius iurandum praestare possunt, malunt tamen causae iacturam pati, siue id fiat ex summa quadam veneratione nominis diuini, ne eo in iusta adeo causa abuti videantur, siue ex superstitiosa quadam ignorantia et male intellecta lege diuina.

## §. IX.

Sed si ad forum Saxonicum respicimus grauis dubitatio de effectu detractati atque haud praestiti iurisiurandi oriatur necesse est. Cum illa fictio confessionis atque conuictionis solum suspicionem nouam et sic grauius indicium excitat, tortura vero ad extorquendam veritatem adhiberi nequeat, quum abrogata habeatur, quid statuendum sit, videndum erit. Concludo, cum amplius aliud eruendae veritatis medium praeter delicti probationem, vel purgatorium haud in promptu sit, fieri quidem non poterit, vt ordinariae poenae subiiciatur, quippe non iurans





rans neque vere confessus neque vere conuictus; at extraordinaria poena omnino plectendus erit. Iudex enim qui ex externis tantum de veritate et innocentia iudicat, cum non est καρδιουργωσις, debet omnino habere non iuramentum culpabilem, quia probandae innocentiae medio uti noluit. Quod vero conuictio deficit, nec vera adfit confessio, suspectum criminis tantum habebit inquisitum non iurantem; nullum aliud supererit iustitiae administrandae medium, quam extraordinaria poena maxime ergastuli, eo tamen seruato, ut salua maneat extra ordinem damnato facultas innocentiae suae deducendae, qua deducta, a poena illi imposta omnino liberandus erit.





Leipzig, Diss., 1777 A-0

ULB Halle

004 568 583



3

fb  
sb:








Pra 36 num. 6

1777, 13

Farbkarte #13



B.I.G.

TIO  
ROVERSI

# GATORII STITI IN CRIMINALI

ORDINIS GRATIA

SIDE

ENR. BREVNING

R. IVR. NAT. ET GENT.

AR. DVISBVRGENS.

IO

O IVRIDICO

O c1c1ccolxxxvii.

DE T

FRIED LINDAV

THVRING.

IAE

LANGENHEMIA.

